





1748.

1. Buch, Henr. Wilhelmus: Conciliatio 1747/17.  
ad Ichn. Fiedel. cum 1.48 9. de condit. et. Jenustr.
2. Gaeblerus, Seb. Georgius: De intercessionibus mu-  
licum.
3. Pestel, Frid. Guilielmus, Frid. Tet. de: De natura legis acti-  
vum. Programma, quo ad solennia inauguratio-  
nem Seb. Georgii Guertneri invitat.
- X. Pestel, Frid. Albinus: De pactis nudiis.
34. Walpffhardus, Paulus Philippus: De origine fractae  
Ursphedal. Programma, quo ad audientiam examen  
publ. Adveni. Arthurii Cornelmanni invitat. 29. Junij

1749.

1. Pestel, Frid. Guilielmus: Picniam, qua feudum cantum  
est, in commune corpori debere, assertum.  
Programma, quo Haurii Jacobi Imami exan-  
ciat.

1750

1. Brechtling, Cons. Frid. Jan: De revelatione divina
2. Walpffhardus, Paulus Philippus: De quaestione domitiana.  
Programma, quo ad examen publicum Georgii Ludovici Nider-  
hardsi invitat.

1751.

1. Pestel, Fridericus Moricus: De jure pignoris imminente creditorum, concussa traditis ad jure statutas. Bremensis sententiam.
2. Hegmann, G. Guel: De idololatria Lutherana maxime philosophica. Quercitatio, qua lectiones suas hinc inde in dicit.

1752.

1. Pestel, Fridericus Wolk: De domicilio originis ad l. pen. l. de senator. Praesens, quo examen publicum Guelon. Gottingen. Hessel indit.
2. Pestel, Fridericus Moricus: De jure ingruenti impunitatis spei sapienter iniuncto. Praesens, quo examen publicum Caroli Augusti Victoris Indit.
3. Pestel, Fridericus Moricus: De effectibus possessionis nondum vacuae a statu imperii aspracheusae.

1753.

1. Pestel, Fridericus Guntelma: Faus errorum de adris usurarum legitimis investigatus et obstructus.

1754.

1. Postel, Fridertus Wilhelmus: De iustitia et benignitate legum Germanicarum erga peregrinos
2. Postel, Fridertus Wilhelmus: Explicatio juris obente Caroli Schaumburgici de obligatione successoris feudalis ad solvendum jus alienum hereditarium

1753.

1. Plitt, Francus Jacobus: Religio enim Christiana esse optimam. . . Programm, quo arabum imperialem iurata.

1756

1. \* Koenig, Hermannus Casparus: Prorector et senatus a. c. a. t. u. s. V. i. t. e. l. i. e. n. s. i. s. ad exequias Hermannus Caspari Koenigii civis academici iurata

1759.

1. Postel, Fridertus Guilielmus: De herede defunctus in rebus pecuniariis non simpliciter representante.

1757

2. Wolffhardus, Pater Philippus: De hereditibus nisi  
lium indignis. Programma, quod ad examen publicum  
Turob. Hantel iur. Lat.

1758.

1. Pestel, Fridricus Wilhelmus: De eo, quod testes  
jura et rationem belli interest. Programma, quod  
ad transferenda jura magistratus academici  
... in Philippum Georgium Schroeder iur.  
Lat.

1764.

1. Wundtarsch, Joannes: De pluris petitione

vi  
viii  
→  
vii  
viii











*Hist. intropr. gen. n.*

10

1748, 3.

ORDINIS ICTORVM  
IN ACADEMIA ERNESTINA  
DECANVS  
FRID. GVILIELM.  
PESTEL

I. V. L. EIVSDEMQUE NEC NON PHILOSOPHIAE MO-  
RALIS PROF. ORD.

AD  
VIRI PRAENOBILISSIMI

SEB. GEORGII GAERTNERI

HASSO - CASSELLANI

LECTIONEM ET DISPVATIONEM  
INAVGVRALES

AD DIEM XIX. NOV. c*h* l*cc* XXXXVIII.

SOLLENNITER HABENDAS


HVMANISSIME INVITAT

SIMVLQVE

DE

NATVRA LEGIS ACTIONVM

PRAEFATVR.



RINTELII, TYPIS I. G. ENAX, A. T.

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

P. 29



ORDINIS ICTORVM  
IN ACADEMIA ERNESTINA  
DECANVS  
FRID. GAVILIELM.  
PESTEL

L. V. I. EIVSDEMQUE NEC NON PHILOSOPHIAE MO-  
RALIS PROF. ORD.

AD

VIRI PRAEVOBILISSIMI  
SEB. GEORGII GAERTNERI  
HASSO - CASSELANI

LECTIONEM ET DISPUTATIONEM

IN ACADEMIA

AD DIEM XIX. NOV. MDCCXXVIII.

SOLLENNITER HABENDAM

HUMANISSIME INVITAT

GRATIA

DE

NATURA LEGIS ACTIONVM

PRAEFATIO



FRID. GAVILIELM. PESELM.



\*\*\*\*\*

**P**erplexam magis et difficilem *de legis actionibus* tractationem, quam illi doctorum, aut doctrinae cupidorum, generi vtilem esse fatemur: quibus vel non tantum est a voluptatibus otii, vt alia, quam quotidiana, et praesens lucrum afferentia, auari temporis, si Diis placet, scire desiderent: vel qui forrensi strepitu, curae reipublicae, ita aluntur, tenentur, occupantur; vt a mansuetioribus Musis se fere inuitos retrahi sentiant. Sed tanto iucundius hoc, quod aggredimur, argumentum iis esse debet omnibus, qui *veteris iurisprudentiae reliquias, in pandecte* superstites, tanquam *tabulas ex naufragio*, plenius cognoscere discupiant, atque adeo, num eadem in *constituendo iure*, sapientia fuerit, qua tam immensas imperii opes comparauit, *gens illa togata, ille princeps quondam in orbe populus, illa vna*, vt summo iure dixit CICERO *de orat. J. 44. in omnibus terris virtutis, imperii, dignitatis domus*, non inutiliter explorari existiment, eiusque inquisitionis pretium, non *quaeestus pecuniarii*, sed honestae suauitatis, magnitudine metiantur. Nos certe, qui illam partem *iuris veteris*, et in foris Germanicis, nostra ipsorum confessione, inusitati, commodo Auditorum nostrorum illustrandam sumimus, iniquioribus malignisque occurrere iudicii, nec huius, quo istae litterae florent, saeculi, nec nostri muneris ratio postulat.

II. Per *legis actiones* (vt ante omnia eius rei, de qua disputamus, notionem constituamus) non intelligimus



gimus qualiacunque negotia, quae lege, id est, *legi con-*  
*venienter, iure, ex praescripto legis* fiunt, sed ea tantum,  
 quae *diebus fastis, coram magistratu, cui illa competeret*  
*pars iurisdictionis, verbis sollemnibus;* (quorum conceptio-  
 nes dicuntur *formulae*) nonnunquam etiam certis *symbolis*  
 et *ritibus, a priuatis, et quidem a pupillis auctoritate tutoris,*  
*peragi apud Romanos* debebant, ut exitum haberent.  
*Formulae* quidem istae, quibus *in iure* vterentur, nume-  
 rosiore, (quarum syllogem debemus B. BRISSONIO,  
 quam utinam recognoscere denuo et augere Viro Sum-  
 mo per fata licuisset!) non in vniuersum quidem *lege*  
 erant expressae, sed a *Cris* primum ex cuiusque deside-  
 rio constitutae; quae tamen res non impediuit, quo-  
 minus illae, seu *accidentibus symbolis* quibusdam, seu *abs-*  
*que illis, pronuntiandae, legis dici actiones* potuerint:  
 cum ad ea essent accommodatae negotia, de quorum  
*iure et ritu, vel alterutro tantum, aliquid diserte, in pri-*  
*mis in XII Tabb. l. 2. §. 6. de orig. iur.* CICERO *de orat.*  
*l. 36.* deinde etiam in reliquis legibus QVINTIL. *l. O.*  
*III. 6.* cautum inueniretur. Ex quibus patet, ea, quae  
*iuri honorario* accepta referrentur, *legis actionum* vocabu-  
 lo non comprehensa fuisse; quod discrimen mihi in *lege*  
 etiam *3. de off. praetor.* obseruare videor. Sed et illud  
 praeterea exigebant Romani, ut tale maioris momenti  
 negotium suscepturus, sibi ferium et satis cogitatum esse  
 consilium, ea res significaret, quod ipse *in ius iret,* ibi-  
 que nihil *receptae* praetermitteret *sollemnitaris.* Ideo  
*lege per alium* agi non potuit. Ideo, ut hoc vtar,  
*surdo et muto* non licuit *manumittere festuca* PAVLVS *rec.*  
*seu, IV, 12, 2.* quamuis *surdi et muti patris filius* *insu eius,*  
 (quod

(quod is et *mutu* significari possit) recte manumitat  
*l. 10. de man. vind.* Ideo et diem, et conditionem, a for-  
 mulis istis, ritibusque sollemniter obeundis, abesse oportuit;  
 natura enim eorum negotiorum, praesentissimam veluti  
 executionem postulans, istius modi dilationes respuere  
 videbatur. Quibus praestructis manifestas definitionis  
 nostrae rationes futuras speramus: cum *L. A.* inter-  
 pretamur, formulas, saepe etiam cum factis sollemnibus con-  
 iunctas, in iure, a privatis, et quidem ipsis, absque adie-  
 ctione conditionis aut diei, semel, nec iterum, in iis negotiis  
 adhibendas, de quorum iure riuque, vel horum alterutro,  
 aliquid in lege esset constitutum. Negotia, quae ista sol-  
 lennitate indigerent, vel contentiosae erant iurisdictionis, vel  
 voluntariae, quam ob rem et *L. A.* ita distribuimus. De  
 singulis sigillatim

III. Ex superiori definitione apparet, *L. A.* pro-  
 prium fuisse, ut in iure fierent. Cui consequens est,  
 non annumerari illis debere, quae ante facerent litiga-  
 tores, quam in ius venirent, vel etiam, quae controversia  
 ad iudicem delata vtrinque agerentur. Non itaque in  
 ius vocationem, fide HOTTOMANNI subnixus, illuc retu-  
 lerim, neque testimonii dictionem, quanquam huic in *l. 21.*  
*C. de haeret. legitimi actus* appellatio tribuatur. Nam  
 quae iudicio accepto efficerent aduersarii, ea non in iure,  
 sed in iudicio, facere dicebantur, et ita apud veteres distant  
 inter se, lege agere, et legitimo iudicio ius suum persequi.  
 v. VLPANI *fragm. XI, 24. 27.* Pertinere autem ad li-  
 tigiosas *L. A.* postulationem et intentionem actionis, cer-  
 tissimum est: in quibus certae et sollemnes verborum con-  
 ceptiones tam necessariae putabantur: (satisne sapien-  
 ter



ter? infra dispicietur) vt ob id ipsum *formulae et actionis* appellatione promiscue vtantur tum *classici* veteres, tum *ICri.*: cf. VLPIANI *fragm.* XIX, 16. quanquam *formularum* vocabulum de *indultria* ex *pandecte* expunxisse videatur, nitium in antiquitatis amantes iniurius, *Tribonianus*. Porro nec *bis* de eadem *repostulari* aut *intendi* potuit actio, vt planum est ex loco TERENTII *Phorm.* II, 2, 56. *seqq.* nec *antiquitus alieno nomine*, GELLIUS *N. A.* XVII, 2. exceptis tantum *caussis* magnis *pr. I. per quos agere* donec ingens molestia, ab isto instituto *indiuia*, L. 17. §. 19. *de iniur.* efficeret, vt primum *forte cognitores*, deinde etiam *procuratores*, in foro *admitterentur*. Certe dudum ante VLPIANVM illa *vetus consuetudo*, *tabb. decemviralibus* confirmata, exoleuerat; vt adeo L. 123. *pr. de R. I.* qua non licere *traditur*, *alieno nomine lege agere*, reiecta GODOFREDI interpretatione, (qui istuc VLPIANVM, *de lege Glicia*, ex qua *querela inoff. non profuxit* docente NOODTIO *ad ff. p. m.* 156. loqui, commentus est) ad *alterum L. A. genus* spectare videatur, ad quos age nunc nos conuertamus.

IV. Nempe quaedam rite et *sollenniter in iure* fieri oportebat, quae a superiori genere in eo differunt, quod in iis nulla lis, nulla *disceptatio*, occurreret. Cui *discrimini* et illud merito *adiicias*, quod in illis nec *caussae cognitione*, atque ob eam *causam* nec *tribunali*, opus visum fuerit. V. L. 36. *de adopt.* quacum iungas l. 7. 8. *de manum. vind.* §. 2. *I. de libert.* Praetor enim *vbicumque* ius diceret, ille locus *ius* dicebatur l. II. *de iust. et iure*. Inter has *L. A.* referenda est *filiifamilias per aes et libram* *adoptio* l. 3. *de off. proc.* l. 16. *de adopt.* vt quae, quemadmodum



modum postulat *L. A. indoles, nec iterari, l. 37. de adopt.*  
*nec per procuratorem L. 24. 25. eod., nec die aut conditione*  
*adiectis, (vt et in hac re naturam fictio imitetur) ce-*  
*lebrari potuerit l. 34. eod. Praeterea locus inter illas a-*  
*ctiones dandus est manumissioni vindicta, l. 3. C. de vind.*  
*lib. l. 4. C. de man. vind. de qua quanquam in XII Tabb.*  
*fragm. hodie nihil diferte extet, ritum tamen vindicationis*  
*illis legibus contineri, indubium est; quem et in ista*  
*manumittendi ratione, in qua vna vertigo Quiritem face-*  
*ret, vt ait PERSIVS *sat. 5.* obseruatum fuisse, ex mul-*  
*tis veterum locis suspicari licet Huic affinis est eman-*  
*cipatio vetus, de cuius ritu ipsi antiquitus constituerunt*  
*Decemviri. V. SIGONIVS *de iudic. I, II. cf. l. 4. de adopt.**  
*Nov. 81. pr. CAII *instit. I, 6, 3.* De cessione in iure plana*  
*sunt omnia ex VLPIANO XIX, 9. 10. et CAII *instit. II,**  
*ad tit. I. in SCHVLTINGII *iurispr. antei. p. 84. seq.**

V.) Quae haecenus de proprietate *L. A.* disputauimus; ea notas differentiae inter eas et *actus legitimos*, (de quibus exposuit PAPINIANVS in *l. 77. de R. I.*) nec a CUIACIO, nec a GODOFREDO, satis extricatas, suppeditant. Hi enim vt cum illis in multis fere partibus conueniunt, et eadem paene definitione continentur, ita in hac maxime re discrepant, quod praesentiam magistratus non desiderant *actus legitimi*, quae ab illis, vt saepius traditum est, remoueri nequit. Vix locum aliquem veteris scriptoris indagaueris, in quo legis actio dicta fuerit, quam priuatim explicatam fuisse, tradere possis; certe per *l. 4. de adopt.* (quam eo nomine excitauit HEINECC. *hist. I. §. 46.*) id non euincitur. Quantumuis *actus quidam legitimi* non solum

lum *ex lege* orti, sed *in iure* etiam explicati, legantur: animaduertestamen vel *dationis tutoris exemplo*, eos non *pruatorum* fuisse actus, sed *magistratum*; et sic a *L. A.* discerni. Caeterum non minus illi, quam *hae*, exigunt *formulas*, certosque *ritus*, imo *certum testium numerum*, et *die*, atque *conditione expressa*, (non autem *tacita l. 77. de R. I.* neque etiam *modo quodam*, et *admonitione l. 6. §. 1. de tutel. l. 4. de cond. causa dat.*) *adiectis*, in *totum viriantur*. *V. d. l. 77*, in qua *pro recipiunt*, vel *legas reiciunt*, vel *CVIACIANAM* interpretationem probes, qui *recipiendi verbum* non *iuris*, uti alias, sed *facti* significationem habere putat, quasi scriptum fuisset: *actus legitimi*, quibus *dies et conditio adicitur*. Neque *procurator* in *illis actibus* admittitur, aut *alieno nomine* eos *agi fas est*, *l. 90. de acquir. hered.* quamobrem *muti testamentum* non valet, *VLPIAN. fr. XX, 13.* neque *is hereditatem adire*, sed *pro herede se gerere dicitur l. 5. pr. de acq. vel amitt. her. nisi pater aut dominus muti surditie filium aut seruum hereditatem adire iubeant l. 93. §. 1. d. t.* At quotuplices fuere *actus legitimi*? Quosdam recentuit *PAPINIANVS in d. l. 77.* Sunt autem hi: 1.) *mancipatio* (de qua *v. BYNCKERSHOECK de reb. manc. c. 1.*) 2.) *acceptilatio* (*v. l. 4. §. 13. de accept. Del. 3. d. t. satis impedita v. CVIACIVS l. 15. obs. 16.*) 3.) *hereditatis aditio* (nam et *illa neque in diem*, neque *sub conditione*, *adiri potest l. 51. §. 2. et l. 90. de acq. hered.* Excipiuntur tantum *procuratores Caesaris*, *l. 1. §. 2. de off. proc. Caes. curator furiosi*, et *is, qui in huius potestate est*, *l. 63. de acq. her. tutor paterque infantis l. 18. C. de iure delib.*) 4.) *serui optio* (non *legatum optionis ipsum l. 10. ad exhib.* Aliarum rerum, quam *serui*, *optio-*

optionem esse *actum legitimum*, negat I. GODOFRED. in *comm. ad h. l.* Cacterum hic conferri meretur Perill. GEBAVERI *pererudita*, et *expectationem codicis legum Romanarum ab ipso edendi vehementer augens*, *dissert. de legato optionis*, Gott. 1747. edita 5.) *datio tutoris* (nam in l. 14. §. 3. et 5. de *tutel.* agitur de *tutore testamentario.*) Possis et *sollennem illum nuptias contrahendi, et diuortii ritum*, ac *complufcula alia, vt auctoritatem tutoris*, huc referre; non autem, vel *legitimationem, vel stipulationem*, quarum priorem HVBER. *digr. I, I, 12.* posteriorem CVIAC. *obsf. 16. l. 15.* in eam classem male intrudi, asseruerunt. Existimandum enim est, non omnes actus, qui *legitimi* dici possint, quia cum legibus conueniant, esse eos, quos Romani excellenter *legitimos* appellauerint, et quales hactenus nos definiuimus.

VI. Verum redeamus ad *legis actiones*; illas a *privatis*, et *quidem in iure*, peractas fuisse, affirmauimus. Annon itaque commune illud vocabulum erat *magistratibus*? Non puto. Habebant illi *legis actiones*, ita vt apud ipsos *lege* posset *agi*; non autem ipsi *lege agere* dicebantur. Sibi enim, vt *eleganter obseruat Cel. ERNESTI ind. CICERON. voce: lex*, respondent, *ius dicere, et lege agere*. Sed quinam illi magistratus, apud quos *lege agi*, id est, *non litigiosas L. A. peragi*, licuit? Praetor primo, et *consul*: his autem quanquam *specialiter* illas *L. A.* quae ad *voluntariam iurisd.* referuntur, tributas fuisse, affirmant plurimi: *legibus* tamen, ad quas eum in finem pronocatur, illud doceri non posse, cum SCHVLTINGIO *enarr. Dig. p. m. 168.* contendent, eas qui attente legerint. Praeterea haec *iurisdictionis pars data fuit Praesidi, legatoque*  
 b  
 Cae-

Caesaris, l. 4. de off. praes. l. 7. de man. vind. Proconsuli, l. 2. de off. proc. Concilio, l. 4. C. de vind. lib. Praefecto Aegypti, l. 22. de man. vind. Iuridico Alexandriae l. 1. de off. iurid. quibusdam magistratibus municipalibus l. 4. C. de man. vind. PAVLVS recept. sent. II, 25. Legato proconsulis idem ius mandari potuisse, negant plerique iuris antiqui interpretes. Sed nobis in ea re b. WIELINGII sententiam magis probari profiteamur, in lect. I. Civ. I, 5. contententis, omnino hanc iurisdictionis extraordinariae partem in legatum, cui multo grauiora negotia committerentur, cui merum imperium ex causa absentiae mandari fas erat, l. 1. de off. ei. cui mand. speciali mandato transferri potuisse, ex quo proconsul in prouinciam uenerit, non ante, de qua specie agunt l. 12. §. 1. l. 3. de off. proc. quod in l. 4. §. 6. d. r. declaratur. Et eam quidem distinctionem plane nos docet l. 17. de man. vind. secundum edir. Noric. et vulg. vt adeo in ea lege pro: legatum eius, NOODTIUS de iurisd. et imp. II, 7. sine idonea causa legi malit, legatum Caesaris E. in C. conuerso, tametsi illas litteras facile permutari potuisse, non inficiemur.

VII. Superest, vt *notione exemplisque L. A.* explanatis, de earum origine, et quemadmodum in *desuetudinem* uenerint, pauca subiicientes, iis satisficiamus, qui magnum momentum non in historia tantum iuris uniuersi, sed capitum etiam illius, rarissime parentium, positum esse, suis aliorumue successibus et periculis didicerunt. Ab incunabulis reipublicae, a Romulo constitutatae, complura negotia sollempniter, certis ritibus, certisque formulis, publice ac priuatim peragi oportuit. Commune illud quodammodo est ciuicibus omnibus, non-

nondum illis artibus, quibus ingenium perficitur, ex-  
 cultis, sed *feris, bellisque magis deditis*, quam insigni qua-  
 dam *ciuili prudentia* temperatis, vt tum *coram testibus*,  
 tum *sollemnibus verbis factisque, ex veteri instituto* obeundis,  
 vnumquemque indicare voluerint, se ea, quibus ob-  
 ligari, aliosue obligare, cuperet; *considerate, ex vera animi*  
*sementia*, memoremque legum, agere. Testes *Germani*  
*veteres*, eorumque e. g. *adoptio et connubium per arma, ri-*  
*tus in emancipatione equestri, in constitutione beneficii, et*  
*renouatione simultaneae inuestiturae, vsitati, formulae, quae*  
*contractibus vulgo inferuntur*, multis partibus plures a  
 N. HERTIO *compositae, verba factaque sollemnia in iu-*  
*dicis capitalibus, et priuatis*. v. vt hoc vtar *vet. leg. Frisic.*  
*art. 40. Cf. constit. Sic. II, 17. et alia vtar vet. leg. Frisic.*  
 quae hic perfequi, spatii angustia prohibet. Igitur an-  
 tiquitus bene multa eius generis, quae ex LIVIO et  
 DIONYSIO discas, et, ne desit exemplum, *ritus vin-*  
*dicationis, floruerunt*: simulque tunc temporis earum re-  
 rum notitia pertinuit *ad pontifices. Dionys. A. R. l. X. init.*  
 An autem iam tum *postulatus fuerit iudex, quem postea*  
*dixerunt pedaneum*, ampliare, quam definite affirmare,  
 malim. V. tamen G. NOODT. *d. l. 1, 6. Regibus eiectis*  
*cum iure incerto per LX annos Romae vterentur, plebs iu-*  
*gi, quod a patriciis sibi imponi sentiret, impatiens, ius cer-*  
*tum et aequabile postulare, patricii tergiuersari, post multas*  
*denique commotiones, prudenti pro ratione illius tempesta-*  
*tis consilio, legati in Graeciam mitti, vt leges inde pete-*  
*rent, his domum reuerfis Decemuii legum caussa crea-*  
*ri, ab illis, Hermodori in primis Ephesi opera adiutis, pri-*  
*imum X tabb. proponi, deinde II adiectis ille iuris sacri, pub-*  
*lici, priuati, quo antehac vsus, et in posterum vsurus esset*

populus, consummari codex, more maiorum probari, tabulisque, primum roboreis, postea aeneis, incidi. Sed iusto confisior, ideoque obscurior erat, ut qui summa tantum iuris capitum contineret, nec certam rationem formulasque, quemadmodum agi excipique oporteret, exprimeret, fraude patriciorum, qui iuris dicendi, et interpretandi, et modum agendi in foro explicandi, munus, veluti receptitium aliquod, idque opimum, peculium, suae deesse nollent tyrannidi. Itaque redeundum erat ad pontifices, eosdemque tum patricos: ut qui ab antiquo in eas res vim ingenii sui conuertere consueuissent. Ab his, tanquam ab oraculis, petenda erat iuris recens conditi lux, et explicatio, petenda dierum fastorum, verborum legitimorum, rituumque, seu agere, seu excipere velles, cognitio. Hi Legis actionum natales, haec interpretationis prudentum, disputationis fori, actionum utilium, et in factum, iuris denique civilis, origo: quarum rerum omnium scientia, initio in penetralibus pontificum reposita, plebem latebat. Tandem et Praetoria dignitas cum plebeiis communicari debuit. C. Flavius, scriba olim Appii Claudii, legis actiones, quas hic ad formam redegisset l.2. §.7. de orig. iur. seu (qua locutione alias vitur CICERO de Or. I. 41.) ad artem redegisset, i. e. certo et conuenienti ordine disposuisset, primum A. ab V. C. 449. composuit, Cic. ad Att. VI, 1. i. e. collegit, seu ut idem de orat. d. l. ait, exposuit, inque albo proposuit. Liu. IX, 46. Atque cum mysteria, quae ex illo naufragio superessent, notis (seu siglis, seu formulis contortis, v. Cel. ERNESTI ind. Cic. voce: nota) occultarent ICTi: et hanc ipsorum artem C. fere post FLAVIUM annos in Triperitiis suis peruulgauit Sex. AELIUS. Rituum tamen et formularum, quantumuis publice cognoscerentur, tenaciores mansisse Quirites, vel ex vindicationis ratione concluderis: in qua primo manum in iure

iure conferi, deinde *ex iure manum confertum vocari ad-*  
*versarium*, tandem et hac *consuetudine* sublata, vt aliqua  
 superesset *antiquitatis* effigies, a praetore *litigantibus vi-*  
*am dici*, oportuit. Quin ipse *usum verborum sollemnium in*  
*orat. pro Muraena c. II. seqq.* testatur CICERO, in qua  
 alias non *sine stomacho* in eos inuehitur, quos artis, quae  
 in iure *Ciuili* versatur, *arrogantia*, quasi *difficillima* esset,  
 ita *subnixos ambulare*, indigne terret: *de orat. I. 58.* (an  
 quod, horum auctoritate salua, suae gloriae metueret?)  
 in primis autem *genus* quoddam *hominum ad rubricas, ad*  
*album, se transferentium*, vt cum QVINTIL. loquar,  
*formularum cantorum, leuileiorum*, Romae tum frequen-  
 tissimum, contemtui exposuit, qui, (vti apud Graecos  
*infimi homines, Πραγματικοί* vocati *Id. d. l. c. 45.*) merce-  
 dula adducti, in *iudiciis* se *ministros* praeberent oratoribus:  
 qua de re erudite et ornate, vti solet, plura disputat *Ex-*  
*cell. GESNERVS in opusc. p. 358. seqq.* Cum autem in ead-  
 em oratione multa a *ICtis* inuenta esse contendat, quae  
 posteaquam in *manibus iacentur et excutiantur*, *prudenciae*  
*manifesta*, *fraudis* autem et *stultitiae plenissima* habeantur,  
 quin iam *barbaris* illis *ridicula* *videri debuerint*: (sed quem  
 latet, quid haec, et similia, a *Consule* dici audiens, exclamauerit CATO?) de *Quiritium* in *formulis sollemnibus* *con-*  
*stituendis aut probandis* *prudencia* per hanc occasionem  
 breuiter dispiciamus. Quod si etiam nunc non in *fo-*  
*rensibus* tantum, sed aliis etiam *ciuilibus* negotiis, *formu-*  
*larum vsu* aegerrime caretur; quod earum ope *tempori*  
*parcatur*, *aequiuocationes* vitentur, et quaedam, cuiusque  
*arbitrio non obnoxia*, *agendi forma* habeatur in perpetuum:  
 quid est, cur mireris, Romanos *ius suum persequi volen-*  
 tibus

tibus praecepisse, vt *verbis legitimis* vterentur, vt antequam in ius venirent, viderent inque consilium irent, an huic, an cum hoc, an hac lege, an hoc tempore, liceret agere? Minusne provide in ea re versatos fuisse putes, qui hoc pacto molestiam, in foris Germaniae non plane infrequentem, effugerunt in quibus: *causae parronorum* mentem feliciter interpretantur iudices, quam illi interdum se sensisse, si ingenui esse velint, fateri cogantur: in quibus *carmen illud*: Desuper implorando etc. peccandi in hoc genere *consuetudinem* satis innuit; cuiusmodi errores non admitti, et mature caueri, quam peti, vt iis ignoscatur, satius putarunt *Quirites*. Hi si reprehendendi sunt, detur ipsis vitio, non quod comprobarint *formulas*, sed quod initio *pontifices*, augendae potentiae suae causa, eas celauerint, quod saepe nimium in verborum *aucupii* haeserint *ICti*, sententiam et aequitatem negligentes. Plura vide apud HEINECC. in orat. de iurispr. Rom. *formularia*. Sed revertamur e diuerticulo in viam. Expositis a Flavio legis actionibus, in sola ea parte iuris antiqui, quae esset cum religione coniuncta, haerere *pontifices*, CIC. de LL. II, 19. adque plures translatae iuris *Ciuitis* scientiam in primis *ICti*, ex Tib. *Coruncanii* schola prodeuntes, proferri coeperunt, simul operam suam litigantibus commodantes, et *formulas* quoque *nouas* ex cuiusque semet consulentium desiderio constituentes. v. VALER. MAX. VII, 2, ex. 12. Cum autem paulatim plurima iuris capita *praetorum edictis* et *responsis prudentum* definiri inciperent, ea autem L. A. annumerari non possent: factum est, vt illa in *forensibus disceptationibus* fere exolefceret appellatio, solumque alteri L. A. generi moribus addiceretur. Non exterminatas autem ab eo inde tempore ex foro *formulas* fuisse, docet l. 20. de *except.* neque refellit l. 47. §. 1. de *neg. gesti.* vt quam *Tribonianus* pro more suo interpolauerit *Constantinus M.* in. l. 1. C. de *form. et impetr.* vetuit, in posterum *cauillationibus*, *verborumque iuris aucupii*, illaqueari aduersarium, et C. *paene* annis interiectis *Theodosius* noua lege non *impetratae actionis* *exceptionem* abrogauit: vt adeo, nullum post id tempus *formularum*



mularum, et nominandae actionis, vsus in foro remansisse, ex neutra lege diferte constat. Nec mirum est, alteras *L. A. nempe voluntarias*, sensim antiquatas fuisse, vt *Hermogenianus in l. 23. de man. vind.* suo tempore (vixisse autem eum sub *Constant. M. liberis*, verosimile est) confirmare potuerit: *manumissionem per lictores hodie domino tacente expediri solere, et verba sollemnia licet non dicantur, tamen vt dicta accipi*, id quod *de surdis* aequum esse, iam censuerat **CELSVS** *l. 1. qui et a quib. man.* sed, vt ex **VLPIANO** patet, sine successu, quem locum supra attulimus. Quanquam enim adhuc **IVSTINIANO** rerum potiente quaedam eius generis in vsu fuerint: §. 1. *l. de libert. l. 6. C. de emanc. lib.* constituta tamen commodiori illas res peragendi ratione, de qua *v. l. f. C. de adopr. l. vlt. C. de emanc.* vetera instituta eorumque molestiae ab vsu recesserunt.

Non licet mihi in hac disputatione esse verbosiori, sed ad commemorationem vitae, honoresque indicendos *Praenobilissimi Candidati SEBASTIANI GEORGII GAERTNERI* Castellis-Hassi, properandum est, cuius causa hanc telam exorsi sumus. Natus is est Castellis d. X. Octobr. clō 16cc XVII. Patre, **IVSTO HENRICO GAERTNERO**, equitum magistro, et copiarum Hassiacarum nosocomiiis castrensis praefecto, Matre, **SOPHIA**, Aspachensis sacerdotis **b. SEBAST. HEBENSTREITII**, a quo etiam e sacro fonte susceptus est noster, filia. In iis litteris, quibus prima aetas informari solet, ducem sibi et hortatorem domi datum fuisse gratulatur *b. Io. Broeskius*, olim verbi diuini ministrum *Remsfeldensem*, a quo tantum profecit, vt in *illustrem scholam*, quae *Castellis* floret, cooptari potuerit. Inde in *Paedagogium Hallense* missus fuit, in quo cum annum vnum et sesqui alterum exegisset, primum *Halae civitatem academicam* obtinuit; qua accepta, *Murburgum* contendit, ibique *Perillustrem L. B. de WOLFF Logices et Metaphysices* decreta explicantem, porro **B. MULHAUSIVM** ad *Institutiones Imperiales et Digesta* priuatim et priuatissime, quod vocant, commentantem, non sine fructu audiuit. *Mulhausio* rebus humanis intercepto *Ienam* se contulit, atque ibi 4 annos litteris et iurisprudentiae operam dedit, sibi que *ill. BYDERI historiam*

am Germanicam, ill. ESTORIS iuris publici et feudalis doctrinas, Amplissimi ENGAVII ius Canon. German. et Criminale, exponentium, eruditam institutionem multum profuisse gaudet. In iure Ciuili praecipue secutus est Cel. D. STENGER, cui Struui iurisp. et Lauterbachii ff. illustranti operam dedit: in iis autem, quae ad praxin forensem pertinere dicuntur, B. SCHAVMBVRG, elegit doctorem. Domum reuersus non solum in academiis percepta tenere, sed excolere etiam, et legendis idoneis auctoribus, tum et actis forensibus, quin etiam scriptionibus, quae iudici exhiberentur, conficiendis, augere studuit. Superiori semestri aestiuo ad hanc Musarum sedem venit, ac Ven. Patris mei ad ff. et ius Canon. praelectionibus assidue interfuit, me etiam praefide publice disputauit, ac reprehendentis sparta aliquoties suscepta cum laude functus est. Tandem ab Ordine nostro petiit, vt ad examen publicum admitteretur. Quod cum ipsi concessum, diesque ad id negotium 27. Sept. dictus fuisset, instituto tentamine et examine, quod vocant, rigorofo, ac doctè explicatis l. 4. C. de loc. praed. civ. et cap. f. X. de sep. eruditionem suam iis, qui in eam inquisuerunt, ita approbavit omnibus, vt luculento legitimae scientiae testimonio dignus iudicatus fuerit. Iam in eo est, vt a. d. XIX. huius Mensis praemissa lectione, quam vocant, cursoria ad l. fin. de const. princ. dissertationem inauguralem, qua doctrina de intercessionibus mulierum speciali casu illustratur, suo solius subnixus praesidio, tueatur, quo facto ipsi summos in iure honores capeffendi licentia a me consueto ritu conferetur. Quem actum vt exoptatissima praesentia sua PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROFESSORES OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMI, CIVES ACADEMIAE GENEROSISSIMI PRAENOBILISSIMI, NEC NON HOSPITES SVIS QUIQVE TITVLIS HONORATISSIMI, condecorare et illustriorem reddere velint, est, quod vehementer, et ea, qua par est, obseruantia rogo. P. P. Rintelii  
a. d. XVII. Nouembr. 1758

( O )

Rinteln, Diss., A48-61


ULB Halle  
005 023 203

3



TA → OL nr 1+24 Stück





*10*

*Hist. intropr. gen. n.*

*1748, 3.*

ORDINIS ICTORVM  
IN ACADEMIA ERNESTINA  
DECANVS  
FRID. GVILIELM.  
PESTEL

I. V. L. EIVSDEMQUE NEC NON PHILOSOPHIAE MORALIS PROF. ORD.

AD

VIRI PRAENOBILISSIMI

*Jo 29*

SEB. GEORGII GAERTNERI

HASSO - CASSELLANI

LECTIONEM ET DISPUTATIONEM  
INAVGVRALES

AD DIEM XIX. NOV. *ch lcc XXXXVIII.*

SOLLENNITER HABENDAS


HVMANISSIME INVITAT

SIMVLQVE

DE

NATVRA LEGIS ACTIONVM

PRAEFATVR.



RINTELII, TYPIS I. G. ENAX, A. T.

